(11)

B.P.A. SERV. ARHIVELOR STATULUI CLUJ DEPOZIT

Stephanus Dei Gratia Electus Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae,
Samogitiae, Kijoviae, Volhyniae, Podlachiae, Livoniaeque etc. et Princeps Transsylvaniae etc. fidelibus
nostris Egregiis et Nobilibus, Francisco Krato de Magyar gald, Francisco Bachmegyej, alteri Magyar
gald, Laurentio Zekelly de Galthi, et Michaeli Pisky de Magyar gald, Salutem et gratiam.
Cum nos cum ad nonnullorum fidelium dominorum consiliariorum nostrorum humillimam supplicationem, Maiestati nostrae
propterea factam, tum vero attentis et consideratis, fidelitate et fidelibus servitiis, fidelis nostri, Nobilis
Georgii Zilvasy, officialis nostri in [illegible], Maiestati nostrae, pro locorum et temporum diversitate, exhibitis,
et impensis, ac in futurum quoque exhibendis, et impendendis, totales itaque et integras portiones
possessionarias, in possessionibus Magyar gald, Fahyd, et Tompa haza vocatis, omnino in comitatu Albensi
Transsylvaniae existentibus habitas, tam scilicet haereditarias, quam impignoraticias, item curiam Nobi-
litarem desertam in dicta Magyar gald habitam, quae alias Nobilis quondam, Pauli Zabo
de Magyar gald, extitisse, sed per mortem et defectum seminis eiusdem, ad manus nostras consequenterque
collationem nostram, iuxta antiquam et approbatam huius Regni legem, et consuetudinem, rite et legi-
time devolutae, esse perhibentur, et redactae, simul cum cunctis suis utilitatibus, et pertinentiis quibuslibet
terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, campis, foenetis, sylvis, nemoribus, mon-
tibus, vallibus, vineis, vinearumque promontoriis, aquis, fluviis, piscinis, piscaturis, aquarumque decursibus,
molendinis, et eorundem locis, generaliter vero quarumlibet utilitatum, et pertinentiarum suarum integritatibus,
quovis nominis vocabulo, vocitatis, ad easdem portiones possessionarias, et curiam desertam, de iure et ab
antiquo, spectantibus, et pertinere debentibus, sub suis veris metis et antiquis limitibus existentibus, memorato
Georgio Zilvasy, ipsiusque haeredibus, et posteritatibus universis. Dicto alias [illegible] nostrae
donationalium, superinde confectarum, in perpetuum salvo iure alieno, gratiose dedimus, dona-
vimus, et contulimus, velimusque eundem in dominium earundem medio vestri legitime facere
introduci, super quo harum serie committimus et mandamus vobis firmiter, quatenus acceptis
praesentibus, simul vel duo vestrum, sub oneribus alias in talibus observari solitis, ad facies
praescriptarum portionum possessionariarum, in dictis Magyar gald, Fahyd, et Thompa haza, vicinis et
commetaneis earundem universis, inibi legitime convocatis, et praesentibus accedendo introducatis
praefatum Georgium Zilvasy in dominium earundem, statuatisque easdem eidem ipsiusque haeredibus, et
posteritatibus universis, simul cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet praemissae
donationis nostrae titulo ipsi incumbentem, perpetuo possidendum si non fuerit contradictum. Contradictores
vero si qui fuerint evocetis eosdem ibique contra annotatum Georgium Zilvasy, ad decimum
quintum diem a die huiusmodi contradictionis eorum, exhinc computandum, in curiam nostram
nostram scilicet in praesentiam, rationem contradictionis reddituros efficaciter, et tandem vos huiusmodi
introductionis, et statutionis vestrae seriem, cum contradictoribus, et evocatorum, si qui fuerint,
vicinorumque et commetaneorum, qui praemissae statutioni intererunt, nominibus et cognominibus,
terminoque ad praedictum, ut fuerit expeditum, nobis fide vestra mediante, referre vel rescribere
modis omnibus debeatis et teneamini, secus non facturi, praesentibus perlectis exhibenti restitutis.
Datum in Civitate nostra Alba Julia, decima octava die Februarii, Anno Domini Millesimo Quingentesimo
Septuagesimo Sexto.

1576 Febr 18

56

Magiar yalog [illegible] bagnak az [illegible]
[illegible] kralj

Zylwassy [illegible]